



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ratione periculi. parag. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

linæ enim sufficit, quod facile potuerit esse advertentia: at Delugo requirit ipsam advertentiam.

2 Lib. I. Deca. e. 3. §. 10.

7. Certè, quia culpa non est, nisi præcedat advertentia illa, quam alibi a explicuimus, sentiendum est cum Delugo: nisi forte Debitor prædictus negligentia graviter culpabili impediverit advertentiam futuræ inpotentiæ, nam tunc aderit negligentia graviter culpabilis, & consequenter contrahetur dicta pœna; quo fortasse respexit doctissimus Molina.

7. Secunda conditio, Ut non ponatur hæc pœna ad palliandam Usuram. Illa autem palliatur, si mutuans idem hanc pœnam ponat, quia lucrû habere vult ex ipso mutuo, quod, ut occultet, dictam pœnam obtendit, quam palliationem clarè apparet adesse, quando sciens mutuans, non posse mutuatarium solvere in tempore præfixo, adhuc hanc pœnam apponit.

9. Tertia conditio. Ut non sit immoderata, sed juxta quantitatem culpæ, secus, id quod culpam excedit, injustè corraderetur. Undè differre solutionem per biduum, vel per Hebdomadam, non æstimari culpam, saltem dignam tanta pœna, notat Delugo loc. cit. Præterea, si pars, non verò totum solvatur, diminuet certè de culpa, sed non diminuet, quando totum non solvi, æquè Mutuanti noceat, ut, si prædium non emit mutuans, quia totam summam non habuit, id quod rectè notat Bonac. b. Nec displicet interim Pasqualigus, c. asserens. Creditorem acceptantem solutionem partis debiti censeri, liberare Debitorè à mōra: sibi enim, eam partem acceptando, præjudicat; nam dum partem acceptat, videtur, inquit, implicite pœnam moræ, & quodcunq, interesse ratione moræ habitû remittere. Hæc Pasqualigus, quibus necessariò addendum est, nisi Creditor explicet, acceptare se partem sine præjudicio sui interesse.

Bonac. d. 3. de contract. q. 3. p. 7 v. 2. V. ex quo. c. Pasqual. senturia 4. q. 362.

10. Quoad posterius, triplex adest sententia. Nam Primò, pœnam conventionalè deberi in conscientia antè omnem Judicis condemnationem, etiam parte nõ petente, docet Felinus, Decius, alique apud Castropalaum, & Sanch. mox citandos. Ratio est, inquit, quia, quod ex contractu debetur, debetur in conscientia etiam, parte non petente, nec Judice condemnante: at hæc pœna, cum sit conventionalis, ex contractu debetur.

11. Secundò, non deberi, etiam si pars petat, nisi accedat Judicis sententia, tenet Sanchez, d. Castropalaus, e alique. Ratio est, d. Sanchez, d. Castropalaus, e alique. Ratio est, quia eo ipso, quod ponitur, ut pœna, quamvis ponatur ex pacto initio contractus, præsumitur poni juxta naturam aliarum pœnarum legalium, quæ est, ut non debeat, antequam accedat Judicis sententia, præsertim, quia sæpissime ejusmodi pœnæ conventionales sunt rigida, expeditque eas moderari per Judicem, ut rectè advertit Menochius de Arbitrariis l. secundo Cent. 3. Casu 266.

12. Tertio, deberi antè Judicis condemnationem, non tamen, antequam pars petat sentit Suar. falique. Ratio est, inquit, quia hæc videtur esse intentio contrahentium, cui in foro conscientia standum est, ut ex una parte nolint sibi imponere onus recurrendi ad Judicem cum expensis, litibus, incertitudine eventus, &c. Et ex alia parte, nec velint se obligare, parte non petente, nisi expresse ad hoc ipsum se obligent in contractu.

13. Has duas postremas sententias, quas fuse agitatas vide apud citatos, esse utralque probabiles, non ambigo: primam vero nequaquam recipio, quia ipso usu videtur explicatum, parte non petente (adde tamen, potente petere) remitti, vel saltem differri debitum.

§. VI.

Lucrum in Mutua ratione periculi.

1. **N**on est hic sermo, an Mutuans possit periculum Mutui apud se, accepta à Mutuatario mercede, sumere, de hoc enim tractavimus modo §. 2. num. 6. sed, an idem Mutuans possit aliquid proportionatum sumere ex eo, quod videt suam pecuniam Petro v. g. Mutuatam periclitari propter dubiam fidelitatem, vel propter paupertatem, vel propter aliud, quod timetur in Petro. Vides, in casu dicti §. 2. adesse duos contractus; alterum mutui, alterum a securacionis mutui, in hoc autem casu adesse dumtaxat contractus Mutui, pro cuius periculo vult Mutuans aliquid sibi solvi.

2. Affero, posse aliquid accipi, sed proportio-

portionatum. Ira Valentia, a aliique, quamvis aliqui negent apud Delugo. *b*

Dico (proportionatum) nam aliquando est majus, aliquando minus pericula propter varias personæ mutuatarie circumstantias, propter longius, vel brevi⁹ tempus, quo Mutuum restitui debet, vel propter quid simile. Ratio autem nostræ sententiæ ducitur ex eo, quod negari nequit, esse pretio æstimabile, & quidem extra ipsum Mutuum, quod Mutuans subeat periculum amittendi suam pecuniam, & quod idem toto anno v. gr. quo durat Mutuum, molestiam passurus sit, quam ei affert timor suam pecuniam amittendi: Hujus autem periculi timorem esse extra Mutuum, patet, quia ab illo separari potest. Nam, si Mutuum dem homini fidelissimo, certoque, ac tuto pignore apud me deposito, quo pacto certitudinem habeam, quod Mutuum non sit amissurus, adhuc constat Mutuum, & tamen nullum odoratur periculum amissionis.

Confirmatur, quia, si tibi locem, vel commodem Equum, vel Domum, probabiliter timens, ne apud te hominem socordem, & dubiæ fidei deteriora illa fiant, vel amittantur, possum aliquid accipere, seu exigere, propter periculum, quod in tui gratiam subeo, ergo & in casu nostro.

3. Hanc vides Primò, quando apud te certum pignus habuisti pro assecuratione tui Mutui, vel fidelissimum fidei jussorem, te non posse, ex hoc capite periculi, aliquid sumere, quia tunc, cum periculum nullum subesse, suppanatur, molestiam non patieris, ergo illius tolerantiam vendere non poteris.

4. Vides Secundò, etiam si deinde suo præfixo tempore totum Mutuum integrè tibi solvatur, posse nihilominus dictum aliquod proportionatum à te exigere, & retineri. Ratio est, quia hoc exigis ratione gravaminis, quod jam certò suscepisti, tolerando per annum illud periculum, & timorem amittendi Mutuum.

5. Objicies. Si ratione periculi, & metus liceret ex Mutuo aliquid accipere, is qui est meticulosior posse plus accipere, quia major molestia, quam is patitur, majorem mercedem meretur: at id videtur fallum, ergo & id unde sequitur.

Respondet. Communiter à Doctoribus negari solet sequela majoris, nam timor, a-

junt, debet niti, aliqua ratione probabili, ita ut quilibet vir prudens, attenta qualitate Mutuatarii, cæterisque adjunctis, probabiliter queat dubitare ejusmodi periculum non recuperandi Mutuum: Quare, si verè non adest, sed adest solum falsa apprehensio Mutuantis, non erit satis ad aliquid exigendum: sicuti in Matrimonio, metus ex falsa apprehensione contractus, non est satis ad ipsum invalidandum, ex *d Sanch.*

6. Dixi, (*Communiter à Doctoribus negari*) nam inclinatur Delugo loco citato, (sed timide relinquens aliorum judicio) posse, etiam tum aliquid accipere, quia, quidquid sit, (ait) in contractu Matrimonii, pro cujus invaliditate potuit ob suas peculiare rationes requiri à Jure metum ex re ipsa, non autem ex falsa apprehensione conceptum, de qua re alibi disputatur; in nostro certè casu, videtur esse satis, hunc metum hominis pusillanimitatis, quia jam in homine adest major molestia animi, quam majori pretio vendere is possit, si autem enim adest in Claudio major molestia ambulandi, quam adsit in homine robusto, licet, ex vitio, & infirmitate procedens quam certè majorem molestiam, si in tui gratiam claudus subeat, poterit aliquid plus exigere, quam exigat is, qui nullam, vel satis minorem molestiam in ambulando sentiret, ita in casu nostro. Hæc ex Delugo.

§. VII.

Lucrum in Mutuo ex Contractu innominato.
Do, ut des.

1. **N**umero tibi centum aureos, ea lege, ut, si ego moriar infra decem annos, tu nihil mihi, vel meis hæredibus reddere obligeris: si autem vixero, reddere tenearis alios centum, atque adeò ducentos aureos, nimirum, decem pro singulis annis præcedentibus: licitus ne est hic Contractus?

2. Respondeo, esse licitum; sed adverto, hunc non esse contractum Mutui.

Quod sit licitus, probatur, quia est par periculum amittendi, & lucrandi, atque adeò est contractus ludi sortis, qui per omnes est licitus.

Quod non sit contractus Mutui, patet; nam præter cæteras rationes, Mutuum debet in omnem eventum restitui, quamvis fortuito.